


In hoc volumine continentur Dissertationes sequentes.

- 1) Strunz de ululatu in sacris munibvs. b.5
- 2) de sacris gentium in montibz Freytag. b.4.
- 3) Zohrig de igne gentilium facto in praedictis sacra in puro. b.6.
- 4) Blasius de Archidiocepsis Gentilium. b.3.
- 5) Berger de evocatione deorum ex oppidis Oppidis b.5.
- 6) Gebhardi de Gog et Magog. b.3.



56.

Q. D. B. V.  
DE

כָּלִי גָּלִילִיתְנִי  
SIVE

# ARMATURA GOLIATHI,

*Ad illustrandum i. Sam. XVII, 4. seqq.*

SVB AVSPICIO

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

## DN. FRIDERICI AVGVSTI,

PRINC. REGII ET ELECTOR. SAXON. HEREDIS,  
&c. &c. &c.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad diem XIV. Mart. A. O. R. MDCCXI.

HORIS CONSuetis

PUBLICE DISPVTABVNT

PRAESES

## IO. CHRISTOPHORUS VVICH. MANNSHAUSEN, LL. OO. Prof. Publ.

ET

RESPONDENS

## M. CHRIST. EHRENFRIED HERMANNUS, NOSENNA-MISN.

---

VITEMBERGAE, EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.

---

ARMATURA  
GOLATHI.

DN HERIBERIC AGESTI

IN AUBIORIO MAGDORI  
ANNO XIX MVR A.D. MDCCLX  
HABENS CONVENTUS  
LAETICE DISPUTAVANT

LUTÆS

IO CHRISTOPHORUS VACCH.  
MANNSHAUSEN.

IN ODO PTOE PUDI

CHRIST HERIBERID HERMUNDS

MOSSENY-MISN

ALITERGAE EX ORTINA EMMUNDAE SCULPTEO, ACAD, LUTÆ.

## PROLOQUIUM.



E GOLIATHO, ejusdemque ar-  
matura exposituri, id quidem re-  
&te constare existimamus, *Gathae-*  
*um*, urbe *Philistaeorum*, inter quinq;  
principes eximia, ac principio, ut  
ex *Jos.* XIII, 3, & *I. Sam.* VI, 16, 17,  
cognoscimus, regia fuisse oriun-  
dum. Eundem patre *Rapha* usum  
esse, nemo est, quin ex *II. Sam.* XXI, 19, 22, & qui huic ge-  
minus locus est, *I. Chron.* XXI, 5, per se ipse intelligat,  
cum relatum leget, *Lachmum* quendam, gigantem  
*Philistaeum*, filium *Raphae*, fratrem *Goliathi*, *Elba-*  
*nani*, Herois, manu cecidisse. Matrem vero ejus, cu-  
jatem dicere conveniat, cum נָגָם, sive *Gathaeus*, a  
patria perinde facile & usitate quidem, atque a matre,  
quod tamen SCHMIDIUS in *Comm. ad I. Sam.* XVII, p. 583,  
contendit, appellari potuerit, nostri esse judicij nega-  
mus. Vt cunque rem putaveris, *Goliathum* certe ex illo  
gigantium genere, qui, *Josua* late victore, *Gazam*, *Gath*  
& *Asdod* se receperant, & ad *Davidi* usque tempora  
in urbe *Gath* potissimum perstiterant, extitisse, ne-  
cessere est, fatearis. Atque idem ille tantum corporis  
mole ac robore, quantum audacia ac temeritate,  
confidebat, ut singulari aliquando certamine cum *Is-*  
*raelitis*, se arbitro, debellari posse existimaret. Eo  
consilio inter *Israeliticum*, *Philistaeum*que exercitum,  
quorum ille בְּעֵמֶק הַלְּהֹרֶן; hic inter *Socuntem* & *Hazzae-*  
*am*, בְּנֵי כָּפֵן דָּבִים, castra posuerat, mane ac vesperi per  
quadraginta dies, medius procedebat, ac *Israelitas*,

18201073

A 2

convic-

convitiis, contumeliisque laceſſitos, ad decretoriam pugnam provocabat. Nec vero diu fastum hominis ac impotentiam DAVID, natu inter fratres minimus, maximus animo ac virtute, tulit, quin ulcisci civium injuriam, *Thrasonisque ferociam coercere*, secum, divino monitu, constitueret. Arma ſibi ad pugnam de legit, quibus forte repelli, arcerique, canem, non, fortem, manuque strenuum, militem profligari posse, putes, quo major prostrati hostis infamia foret. Regiam enim, quam SAUL largitus erat, armaturam deprecatus, pedum capit, fundamque, &c, quos ex ea ingerere in *Polyphemum Philiſtacum* posset, quinque lapides, e rivo collectos, in peram recondit. Venit ergo David inermis paene ad armatum, cui robur & aes triplex circa pectus erat, videt cominus *Gigantem*, cujus ſolo conſpectu numerosus *Israelitarum* exercitus eminus contremiſcebat, vincit fruſtra armis exquisitissimis, viriumque immanitate, confidentem, unoque lapidis iectu prostratum, proprio demum gladio jugulat. Cujus facti praeftantia ut plenius cognoscatur, haud parum refert, depugnantium apparatus inter ſe contulisse, &c, quibus quisque armis uſus fit, diligentius expendiffe. Nobis ſane DAVIDIS & GOLIATHI ARMATURA dignum viſum eſt argumentum, in quo interpretando operam poneremus. Si enim feciſſe pretium videntur, qui bellica Graecorum, Romanorumque instrumen ta nobis delinearunt, nequaquam nos temere in explicandis Goliathi, Davidisque, armis elaborabimus, quod id genus multo eſt antiquissimum, nec parum ad ſanctoris historiae intelligentiam ejus notitia confert. Ne vero ad iuſti magnitudinem voluminis ex crescat

crescat opus, pensum cum CL. DN. RESPONDENTE  
ita partiemur, ut hac quidem Exercitatione nos de-  
GOLIATHO, Ejusque ARMATURA, strictim expona-  
mus, ille de DAVIDIS, quo Goliathum vicit, APPA-  
RATU sigillatim alia chartula, alioque die, quae ad  
illustrandam pugnam pertineant, edifferat.

## COMMENTATIO.

### I.

**T**HRASONEM itaque *Gathaeum*, ad certamen  
singulare prorumpentem, proprius contem-  
platuris, principio videndum est, qua mente  
deas hic singulos propemodum inter se discrepare in-  
terpretes, omnes tamen in duas generatim factio-  
nes dividit, quarum altera, vocabulum בָּן, quod  
*filiū*, altera, בָּנִי, quod *inter*, significat, deduci opor-  
tere, contendat. Qui à בָּנִי, *filius*, ejus origines repe-  
tunt, eorum aliqui *Goliathum* ajunt אִישׁ הַבְּנִים, vi-  
rum duorum filiorum dici, quod esset *ānq̄ ḥuvarōc*, ut  
LXX. Graeci habent, vel, ut similiter Syrus & Arabs,  
vir virorum, *אִישׁ הַבְּנִים*, *vir virorum*, si-  
ve *vir potens*, qui, sive molem corporis spectes, duo-  
rum hominum magnitudinem aequaret, sive virtu-  
tem bellicam, multis praestaret unus, plurimorum-  
que robori ac fortitudini solus par haberetur. Vide-  
tur hoc praeter ceteros intendisse animum D. LU-  
THERUS, cum Ebraeam illam *Goliathī* appellationem  
lingua vernacula *Riesen* interpretaretur. At *Vulga-*  
*tae* auctor, novo prorsus consilio, אִישׁ הַבְּנִים, Spuri-  
um

um transfert, hoc est, ut CASPAR SANCTIUS  
Comment. in h. l. adnatat, *Gigantem*, confuso duorum,  
aut plurium virorum, quibus mater succubuerit, semine genitum. Quod ridiculum commentum  
ut veri speciem indueret, non puduit GROTIUM fin-  
gere, *Gigantes*, legum quippe omnium, ac certi con-  
jugii, contemtores, vaga libidine usos, σποζόν conceptos, incertisque adeo genitoribus prognatos esse,  
prorsus ut idem dici videatur, gigantem quenquam,  
an spurium, appelles. Rem sane putamus indignis-  
simam, *Grotium* cum iis facere, qui, ut *Vulgatae Ver-  
sonis*, veluti *Thaidis*, quam deperiant, turpisimos nae-  
vos quoquo modo inficent, quidlibet fingunt, tur-  
bant, miscent, ac vel puerorum risui se exponunt.  
Interpres *Anglus*, ab iis, quos recensuimus, aliqui-  
tulum diversus, GOLIATHUM *Champion*, hoc est, pu-  
gilem dixit, ratus haud dubie, איש הבנין, virum do-  
rum filiorum, vocari, qui, singularibus certaminibus as-  
suefactus, viritim soleret dimicare. Ab his autem o-  
mnibus prorsus discedunt, qui בני־ין a praepositio-  
ne יין, nominum instar in dualem numerum, ex pun-  
cto (), flexum esse, opinantur. Primus id CHALDAE-  
US animadvertisit, cum *Ebraeas* voces איש הבנין per  
virum ex inter illos, exprimeret. Cu-  
jus mentem undequeque non asselitus est CAJE-  
TANUS, quando sensit, *Goliathum* איש הבנין virum  
mediatum ideo nuncupari, quod è mediis Philistae-  
orum castris, e mediis popularibus suis, omnium con-  
fessione processerit. Propius attigerunt eum, qui  
cum ABARBENELE ad h. l. *Goliathum* putant ita appel-  
latum esse, לְפִי שָׁהָר בֶּן הַמּוֹרְכָּז :  
CHIUS ad h. l. scribit, לְפִי שָׁהָר וַיָּאֵת יוֹם בֵּין שְׁנָיו דְּמֻרְכָּז

הכנית נקרא איש המערכה: h. e. quod medius ietter  
duos montes, vel exercitus, geminasque acies, staret, sin-  
gularemque sibi pugnam decerni postularet, ut ajunt SA-  
LOMO GLASSIUS Phiol. S. Tract I. cap. III. n. 3. p. 126.;  
PAGNINUS, Vatablus, Caspar Sanctius, Piscator, alii,  
ad h. l. Placuit haec expositio etiam CLERICO, qui  
in Comment. ad h. l. Mibi, inquit, maxime arridet eo-  
rum interpretatio, qui intelligent בְּנֵי, quasi esset me-  
diaturum, אֶת בָּין inter, quod auderet solus procedere in  
spatium, quod erat inter duas acies, sive vallem. Et sa-  
ne tam plana illa, tamque expedita ac prona est, ut  
facile palmam ceteris praeripiatur, nec adjectione par-  
ticulae נַעֲמָן, quam SCHMIDIUS ad h. l. ut sensus fiat:  
Processit Goliath בֶּן הַבְּנִים in mediaturum; committitur, indigeat. Neque vero temere fecerit, qui, plura  
argumenta uno vocabulo complexus, Goliathum שָׁאֵל  
dictum esse, cum eodem Schmidio crederet, quod  
e mediis Philistaeis, omnium suffragio, eo quidem  
consilio electus esset, ut cum eo, quem Israelite  
medio suo elegissent, medio inter utrumque exerci-  
tum spatio, de palma, nomine omnium civitum, decer-  
taret. Nam, quod Goliath ad singularem Israeli-  
tas pugnam provocat, ibique ait imperium fore, unde  
de victoria fuerit, haud dubie de communis popula-  
rium suorum consilio fecit, cum penes unum, eum-  
que privatum, non sit, uter populus utri impereret, de-  
cernere, certamque civium libertatem in dubiam, nec  
necessariam, imperii servitiique aleam dare. Fuit sa-  
ne illud genus pugnae singularis ac decretoriae ut an-  
tiquissimum, & ad bella sine magna clade, sine multo  
sanguine populorum, finienda, inventum, ita nunquam,  
inconstituto invitoque exercitu utroque, susceptum.

JOA-

JOABUS certe & ABNER II. Sam. II, 14, 15. ex suis quisque  
castris duodenos deligebant ex pacto juvenes, qui, ma-  
gnorum exercituum animos gerentes, concurrerent,  
ac inter se velitarentur. ROMANI item, ALBANIque,  
cupiditate regni ad arma stimulati, in trigeminorum  
fratrum, *Horatiorum, Curiatiorumque*, virtute ac for-  
tuna aliquando imperium ponebant, icto foedere, ut  
cujus populi cives eo certamine vicissent, is alteri  
populo cum bona pace imperitaret. id quod narrat  
LIVIUS Lib. I. c. XXIV. Nec T. MANLIUS quondam,  
nisi de voluntate imperatoris, extra ordinem pugna-  
vit, solus inter duas acies, spe metue pendentibus  
circa hominum animis, congressus cum *Thrasone*  
quodam Gallico, magnitudine corporis eximia, qui, in  
vacuum, de quo occupando crebra erant praelia, pon-  
tem procedens, quantum maxima poterat voce, in-  
clamarat: *Quem nunc Roma fortissimum virum habet,*  
*procedat agendum ad pugnam, ut nostrarum eventus o-*  
*stendat, utra gens bello sit major;* ut idem refert LIVIUS  
L. VII. c. IX. & X. Maxime his geminum Goliath, in  
medium inter duas acies procedentis, publicumque  
imperium ac servitium in discrimen certaminis fero-  
cissime adducentis, facinuserat. Haud igitur inepte  
pro Ebraeo אִישׁ הַכְנִי in Complutensi LXX. Graeco-  
rum Codice est ὁ μετριός, secus atque in *Alexandrinus*  
& *Aldino* αὐγή ὁ μετριός, quanquam ut, quod res est,  
fateamur, ex alio id interprete videtur surrogatum,  
cum nec in *Vaticano* Codice reperiatur, nec, quod ju-  
dicat CLERICUS l.c., vero consentaneum sit, eundem  
interpretē in eodem loco à se dissidere.

II. Hunc

## II.

Hunc autem **אִישׁ הַבְּנִים** ad gigantum referri familiam oportere, ex גָּבוֹתָה altitude, sive, ut *Arabs* habet, גָּזָרֶת longitude ejus, à גָּלֶב pro גָּזָרֶת longus, procerus fuit, quae **אַמְתָּה וְרָהָה** sex cubitos & spanham exaequabat, colligitur. Quae ut plenius intelligatur, accurate cognoscendum est, quanta sit mensurae **אַמְתָּה** & **רָהָה**, cum nostra commensae, proportio. Esti enim omniū iudicia, opinionesque, interpretum concordant, **אַמְתָּה** generatim esse id, quod GRAECI πῆχος, ROMANI cubitum, ultimam, GERMANI *Ellenbogen*, Elle nuncupant; iusta tamen ejus dimensione aliquantulum inter se plerique discrepant. SUIDAS namque πῆχον ait esse, τὸ ἀπὸ τῆς ἀγκῶνος μέχει τῶν δακτύλων τῆς χειρὸς ἔπαμφα, spatiū inter flexum brachii & digitos manus in longitudinem porrectū. COCCEJUS in Lex. p. m. 21. **אַמְתָּה** spatiū ab ἀγκῶνi ad summum digitum medium descriptum demensumque interpretatur. Nec minor sententiarum diversitas in definiendis **אַמְתָּה**, ultimae, hujus partibus deprehenditur. Enimvero Suidas πῆχον, sive cubitum πόδας β' duos pedes, πόδα autem δακτύλως sedecim digitos exaequare statuit. LYRA in Comment. ad h. l. cubitum uni & dimidio pedi parem facit. ROBERTSONIUS in Radice **אַמְתָּה** p. 33. eundem cum quinque palmis, sive viginti digitis, committitur. MERCERUS *sacra à profanis* distinguit cubita, & illa quidem sex, haec vero quinque palmorum fuisse, asseverat. BUXTORFIUS in Lex. Talm. p. 112. tres **אַמְתָּה** i. e. cubitos in Sanctuario extitisse adstruit, quorum primus quinque palmos: secundus, quem **כִּינְנֵי בָּיִת**, medium, vocat, sex: tertius vero decem complexus fuerit.

B

fuerit. CLERICUS Comment. in Gen. VI. Ebraeorum cubitum omnino aequalem Aegyptio, multum autem à Babylonio, Graeco, ac Romano, Turcorumque Pika, quae vox ἀπὸ τῆς πίκης videtur orta, diversum putat. Ebraeum enim, ait, excedere Babylonia, Graja, ac Romana cubita, quippe palmos tantum quinquelonga, uno palmo, excedi autem à Turcorum mensura, quam Pika vocant, tametsi duplicitis ea generis esse prohibeat. Qua quidem in re uticum EDUARDO BERNARDO, qui Libr. III. de Mensuris & Ponderibus Antiquorum, cubiti mensuram sesquipedalem, sive XVIII. unciarum, esse asserit, discordat, ita CLUMBERLANDIO, qui in libro Londini clj Is C LXXXVI. ea de causa edito, cubitum Ebraeum Aegyptiaco prorsus aequiparat, & GRAVIO, qui in Libro de Pede Romano NILOMETRII, in Cairo urbe asservati, cum imaginem descripsit, tum cubitorum, quae in eo sunt, mensuram, assentitur. Illam antem mensurae communionem e frequenti, quod ISRAELITIS cum AEGYPTIIS intercessit, commercio, sanguinis item, qua uterque populus conjungebatur, propinquitate exortam, in primis putat Noachiae navis, quem Moses explicat, commensu approbari. At inanes doctissimorum quorumque virorum de Ebraici cubiti ratione contentiones natas judicat ex ambiguitate vocis סְנָמָן, quae, ut cubitum Ebraeum proprie significet, ab articulis ramen ad mensuram quinque, sex, ac octo palmarum denotandam indiscriminatim adhibeat. Ex quibus tandem conficit, Ebraeum sanctuarii cubitum, quem VULGATUS Ezech. XLIII, 3. VERISSIMUM nuncupat, sex duntaxat palmos, palmum autem quadratur digitos, digitum sex granorum bordaceorum latitu-

*latitudinem complecti. Quae si ita se habent, faci-*  
*le, qui in arithmeticis exercitati sunt, intelligent, con-*  
*stare CLERICO haud inique rationem, quando i. Sam.*  
*XVII, 4. collatis Ebracorum, Romanorumque, mensuris,*  
*Goliathum ait, XI. pedes & tres pollices longitudine*  
*aequasse, cum ceterorum hominum statura vix sex*  
*pedes plerumque supereret. Apte quidem ad Clerici*  
*mentem CASPAR SANCTIUS, ad Ezech. c. XL, qua-*  
*tuo cubitorum communem fere hominum staturam*  
*asserit: at multum discrepat, cum Goliatho sesquial-*  
*teram ejus rationem cum XII. digitis attribuit, retur-*  
*que, זרָה non palmum vulgarem & minorem, sed*  
*אַרְבָּעִים, majorem, duodecim digitis constantem, de-*  
*signare. Ab utroque longius fecedit JO. CASPAR EI-*  
*SENSCHMID in suis de Ponderibus & mensuris Veteri-*  
*Romanorum, Graecorum, Ebracorum, Commenta-*  
*riis, Argentorati 1708. editis, p. 119, ubi mensuras cu-*  
*bito minores ita distinguit, ut פֶּתַח palmum, quatuor*  
*digitorum spatium, seu sextam cubiti partem, אַרְבָּעִים,*  
*dodrantem, זרָה, dimidium cubitum, interpretetur.*  
*COCEJUS contra in Lex. p. 104. זרָה ex Exod. XXVIII,*  
*16, 7. & XL, 12. Ezech. XLIII, 13, semper cum אַרְבָּעִים,*  
*einer Spanne, perinde ut ειδον, comparat, videturque*  
*in Arabis confessione, qui pro Ebraeo זרָה vocem*  
*שְׁלֵשׁ, quae intervallum inter pollicem digitumque au-*  
*ricularum diductos, significat, inniti. Eodem redit,*  
*quod KIMCHIUS in Libro Radicum, & ex eo BUXTOR-*  
*FILIS in Lexico annotarunt. Quorum rationes omni-*  
*um si conferamus, utcunque existimemus cubitum,*  
*ii quidem rem attigisse prorsus censendi sunt, qui*  
*זרָה mensuram à palmo diversam interpretantur, cum*  
*Ezech. XLIII, 13, זרָה inter שְׁפָתָה & expresse distingui vi-*  
dea-

deatur. Neque tamen ausit quisquam mensuram, וְהַ per הָמָה, סְמִיסֵּם, sive דִּמְיָדָם עַלְנָם, in-  
tanta certae proportionis ignoratione, certo defini-  
re, quanquam vero sit simillimum, proxime acces-  
sisse eam ad שְׁפִתָּחָמָא rationem. De cubitis tanti-  
sper cum CLERICO dissidebimus, dum aequalitatem  
mensurae *Ebraeae Aegyptiacae* que fortioribus asserue-  
rit argumentis. Cum enim populos, ab una pro-  
gnatos origine, frequenque mitos commercio, ma-  
xime meniurarum proportione, nostro etiam aeo-  
differre videamus, haud praeter rem veremur,  
ut de *Ebraeis* cubitis ex NILOMETRIO accurate que-  
at judicari. Sed caussam *Clerici* copiosus disceptent,  
qui in una rationum proportionumque dimensione  
quasi tabernaculum vitae suae collocarunt. Nobis  
sane *Ebraea* illa cubita a cubiti humani longitudine  
propius absuisse videntur, quod id genus mensurionum  
antiquissimum est, & suae origini rectius constat,  
nec portentosam nimis hominum proceritatem fa-  
cit. Quae si cogitassent οἱ ἑβραιονοτα, certe non ha-  
buissent, cur *Goliathum*, qui *sex ulnarum & spithame*  
*unius* homo in *Ebraco* dicitur, τεσσάρων πήχεων, quatuor  
cubitorum, fuisse traderent, fontesque subdola inter-  
pretatione temerarent, aut, ne supra fidem dictum  
videatur, si *sex* eum excessisse cubitos ajerent, vere-  
rentur. Si enim brevior illa AUGUSTI statura Sue-  
tonio visa est, quae pedes quinque & dodrantem ae-  
quavit, quis *Goliathi* admodum miretur magnitudi-  
nem, quam vix quatuor cubitos crediderit superasse?

### III.

Quis, & quantus fuerit GOLIATHUS, diximus:

con-

consequitur ut de armis, quibus instructus processit, exponamus. Armorum vulgo alia σπενσατινά si-  
ve φυλακτίζα ad protegendum muniendumque corpus com-  
posita, alia ἀμυντήζα, ad premendos profigandosque ho-  
stes comparata existimantur. Quod utrumque ge-  
nus cum in Goliathī armatura deprehendamus, de  
munitionis corporis, galea, lorica, ocreis, primum, ea  
quidem lege dicemus, ut cum singulorum mem-  
brorum dignitate armorum, quibus clipeum subjun-  
gemus, ordinem commetiamur. Neque enim, quae  
Ezech. XXIII, 24. usurpatūr dictio, וְנִזְבַּח כָּבֵד, cassi-  
dem ac clipeum, magis σπενσατζέως numero eximit,  
quam illa HIRTII de Bell. African. cap. XII. Jamque  
cum procul hostis conspici posset, milites in campo jubet ga-  
leari & ad pugnam parari: aut quae CAESAR de ac-  
commodandis propter pugnam insignibus, induen-  
dis galeis, scutorumque tegmentis derahendis, tra-  
dit, de Bell. Gall. L. II. c. XXI.

#### IV.

Primum inter corporis gigantei tegumenta di-  
vinus Scriptor כָּבֵד nuncupat. Atque id ipsum est,  
quod Graecorum vocabulis οἴβην ac οὐβῆν, forte & Hispano-  
rum Cabeza, & Gallorum Cabassat, originem dedit,  
quodque capitis munimentum, galeae, cassidive Ro-  
manorum simile esse, inter omnes interpretes conve-  
nit. Galeas quidem ista capitum experimenta prima  
aetas proprie appellabat, quae ex felina pelle confi-  
ciebantur. Γαλῆ enim felis est, aut simile isti animal,  
quod ιντιδα Graeci, Latini mustelam, alias vocant,  
unde & HOMERUS galeam ιντιδέν nominat. Et quam

quam deinceps e canum fluviatricorum, luporumque,  
pellibus fieri ejusmodi tegmina, quae κύνοι inde, ac  
λύκοι, dicebantur, coepissent: galeae tamen nomen  
ἀπὸ παλαιᾶς χερσῶς & iis, & quibuslibet περιφεραῖς  
aliis omni aevo commune mansit. Cum eodem ve-  
ro *Cassidē* notionem, foemineo genere, frequenter  
permutant *Latini*, cuius vocis originem *VOSSIUS* in  
*Etymol. Lat.* p. 113, auctoritate *Isidori Lib. XVIII. c.XIV.*  
fultus, à vocabulo νάξη, quo caput significatur, repe-  
tit, ut *cassis*, quasi *Carassis*, primum à *Tuscis* dicta vir-  
deatur. Quodsi *cassis* cum *galea*, quemadmodum  
monet idem *Vossius l.c.*, proprie ita differt, ut illa de  
lamina, haec de corio facta perhibeat, כובע *Goliathī*  
rectius *cassidē* dixeris, propterea, quod כובע  
hoc est, *aerea*, ab ipso Scriptore divino appell-  
etur. Constat enim inter omnes תְּשׁוֹרָה *aes*, *aeru-*  
*ginem*, *cuprum*, *aes cuprium*, vel *abeneum*, denorare, &  
verbo οὐν, *auguratus est*, *divinavit*, curiose & callide  
*observavit*, *magiam exercuit*, *ortum debere*, *forte*,  
quod aeris tinnitu ad ea opus esset, aut ipso aere iti-  
dem varie uterentur. Sunt equidem, quibus persua-  
sum est, *cassidē* hanc ab *Historiae sanctioris* condi-  
tore כובע נחשת *aeream* vocari similiter, ut si *Poetae*,  
quae ferrea sunt, *aera* arma appellent, quoniam  
aeris usus prior ferri usus fuit, aut si quis cujuslibet  
formae librum δέλτὼ nominet, vel quamlibet char-  
tam βιβλον, vel lapides sepulchrales, aut monumenta  
publica, πίνακας, de quorum tamen vocabulorum  
prima significacione *EUSTATHIUS Iliad.y. secus praec-*  
cepit. NICOLAUS sane de *LYRA* ferream *Goliathī*  
*cassidē* fuisse credit, naclus socium opinionis *Dio-*  
*nysium Carthusianum*, qui in *Enarrationibus suis*, *aes*,  
ait,

ait, pro omni metallo sumi, nec cassides proprie de  
aere, sed de ferro, fieri solere. Eandem in rem.  
TOSTATUS: *Aerea*, inquit, *cassis* haec vocatur, non  
quod de aere tota, sed de ferro esset, quia de aere *cassis*  
fabricari non poterat. At non videntur nobis tanti  
esse isthaec opinionum commenta, quin certam pro-  
priamque vocis notionem hic tenendam esse  
censeamus. Si enim hic omnino *ferrum* est,  
quam tandem scriptori sacro caussam putas fuisse,  
quamobrem sigillatum, בָּרוֹל ferri, mentionem in de-  
scriptione hastae praeferratae faceret, & שְׁלִים נַחֲשָׁתִים בָּרוֹל  
v. 5. a ברול expresse definiteque distingueret.  
Animadverterunt illud interpres Chaldaeus, Syrus,  
Arabs, quippe quorum quilibet Ebraicum נַחֲשָׁתִים, prout  
linguae suae ratio tulit, expressit. CHALDAEUS  
namque pro נַחֲשָׁתִים habet כּוּבָעַ, Syrus  
נַחֲשָׁתִים, Arabs نَحْشَنَةٌ، quibus  
geminam esse vocem χαλάνην in Complutensi Graecorum  
Codice additam, deprehendimus. Ceterum Syro vo-  
cabulo נַחֲשָׁתִים, quod & hoc loco, & Eph. VI, 17. ac  
I. Theff. V, 8. invenitur, parum convenit cum Ebraeae  
vocis notione, quando Arabicum نَحْشَنَةٌ, cui Syrum  
illud simillimum est, omne armorum genus, ut GO-  
LIUS Lex. p. 1225. docet, notat: rectius Chaldaeo סְלָק  
vel ipso quippe quod, veluti Graecorum voci οὐρανός  
affine, galeam, sive cassidem, proprie designat. Ejus  
autem cassidis quae forma fuerit, cum sacrae literae  
reticeant, haud quisquam temere definierit. Conje-  
cturis tamen si quis locus sit, in modum βικαί, aut  
pyramidis, aut metae stachari, ab ambitu satis lato in  
acutum cacumen fastigiatam fuisse, est, cur suspe-  
mur.



saltim conjectando evincemus, *Goliathi cassidem*,  
cum aenea fuerit, haud dubie, more aliarum recen-  
tioris aevi, laevigatam ita & perpolitam fuisse, ut, re-  
percussu radiorum solarium, praestringere oculorum  
aciem, mentiri que fulgura videretur. Atque ea  
רָאשׁוֹ, עַל תְּנֵי נְגַדְּלָה אֶת־עַל, ut LXX. *Graeci*, eo-  
demque sensu *Chaldaeus* ac *Syrus* habent, *super caput*  
*eius*, vel ut *Arabs* minus preesse, عَلَيْهِ, *super eo*, fuisse  
dicitur. Id quod argumento est, galeam *Goliathi*  
summum caput sigillatum texisse, non aequo vultum,  
saltim non frontem, quippe quam *David* silicis iecu  
perfregit. Quo rectius illa *Integrum*  
*mentum protegens capit is verticem*, ab auctore *MICHLOL*  
*JOPHI*, & ab *ABARBANELE*, בָּוֹת הַרְאָשׁ שְׁעוֹשָׂה מִנְחָשָׂת :  
*dornus*, sive *receptaculum capit is ex aere factum*, voca-  
tur, quippe in quod convenienter illa *Abarbanelis*, quae  
subiecta sunt, verba, והנְבָנָה שְׁחוֹת יְקִיפָּה לְבָר עַל רָאשׁוֹ  
לְמַעֲלָה מִצְחָו וְזֹהָה נְשָׁאָר מִצְחָו מִגְוָה שְׁבוֹ הַכְּבוֹד רְוִידָה :  
*Explorato* verum est, *solum verticem superne opertum*,  
*galea ad frontem usque, frontem autem ipsam nudam fu-*  
*sse*, quippe quam *David* percussit. Fuit ergo *Goliathi*  
*cassis*, si non ab earum, quarum prominentibus la-  
mellis nares quoque praemunitas esse, contra *P. A.*  
*schallum*, cetera diligentem veteris in primis *Galeae*,  
*explanatorem*, *BARTHIUS* in *Adversariis* demonstrat,  
ab istarum tamen, quae omnem vultum, exceptis o-  
culis, abscondierunt, & quas *Angli*, *Germanique*, pro-  
prie *Helm*, ab *belen* sive *celando*, appellasse creduntur,  
formis aliena.





V.

Satis ita tectum quidem aeratumque caput, sed  
C  
nec

nec minori curā corporis gigantis reliquum communiendum videbatur. Enimvero, praeterquam quod, collum lamellis catellisque, à galea pendentibus, recentioris aevi more, conceptum fuisse, vero sit simile, expressis etiam conceptisque verbis שְׁקָשִׁים יְהִוָּה לְבֹשׁ squamea lorica ipse vultatus quasi, armatusque, dicitur. שְׁרָוֵן igitur, si ad membrorum dignitatem armorum ordinem componas, merito secundum à casside ēn τοῖς Φυλακτήροις ὅπλος locum occupat. Originem vocis à verbo שְׁרַב, quod solvendi, dimittiendi, habitandique notionem habet, communiter reputant Grammatici, nec tamen, quae sit derivati nominis cum significazione fontis sui cognatio, vel definiunt apte, vel inveniunt. Id quidem apertius constat, pro שְׁרָן, interdum שְׁרָן I. Reg. XXII, 34. Jes. LIX, 17 aut שְׁרָה Job. XLI, 18 & שְׁרִיּוֹן Jerem. XLVI, 4. quo tamen nomine Deut. III, 9. & Ps. XXIX, 6. mons Libano contiguus, Hermon scilicet, sive Senir, designatur, in numero autem plurimum & שְׁרוֹנָה Nehem. IV, 10 & שְׁרוֹנָת II. Chron. XXVI, 14, utroque genere, eademque significandi vi, usurpari. CHALDAEUS, quod in Ebraeo est, שְׁרָשׁ integrum h. l. transcripsit; Syrus εὐφατινέως מְבֻשֶּׁה, quo arteriam, nervum, fistulam pulmonis alias, sed Ephes. VI, 14. I. Thess. V, 8. Apoc. IX, 9. loricam, & Col. II, 19. numero plurimum εὐφατινές مَنْدَبَة commissuras denotat, expressit. Arabs אֲשָׁמָה vocat, quae vox & pectus significat, & pectoris monumentum. GRAECIS γέρων εστι, quo vocabulo ea sigillatim corporis pars, quae inter collum & inguina interjacet, coftisque clauditur, tanquam à Σοζεῖν, salire, moveri, quod cordis pulmonumque palpitatio ibi sentiatur,

tiatur, proprie, tralate autem *vestis, cingulum, aut munimentum eam ambiens*, definitur. Inde HESYCHIUS θάσαν λεζίνιον interpretatur, cui consonat *Latinorum lorica*, quod, SALMASIO Exercit. Plin. p. 612. judice, ex θώρακα, perinde ut ex δόρσος *torus*, ex δότιον *laurium*, ex δάνγνα, *lacrima*, ortum traxit. Et si autem vocabulo θώραξ, aut forma potius diminutae significacionis, θωράκιον, ad quodlibet munimentum, aut pugnaculum, in primis vero ad θεργηκόν, quem nostrates *eine Brust-Wehr* appellant, designandum *Graeci* non minus, quam *Latini*, voce *lorica* & *loricula* interdum usi sunt: constat tamen inter omnes, utraque appellatione frequentissime, ac potissimum, id ex armorum genere significatum esse, quod *Germani* eveniunt *Harnisch*, sive *Küris* nuncupant. Neque vero est, quod multum dubitemus, vocabulum *Harnisch*, Gallico *Harnois*, quod *aerineum* quid quasi notat, & *Küris* *Latino Corium*, quippe ex quo, & crudo quidem bovino, loricae primum, teste ALEXANDRO ab ALEXANDRO *Genial. Dier. Libr. I. c. XX. p. m. 51.* & HADRIANO JUNIO in *Nomenclatore*, confectae sunt, origine cognatum, ambasque adeo voces à prima, & antiquissima loricarum materia nomen fortitas esse, nisi posterius à Graeco νόρης, quod est *galea*, quisquam malit derivare. Fuit igitur *שְׁרִירָה* *Goliathbi lorica*, sive *pedioris munimentum*, at non de corio, nec vulgariter inde modo constructum. Appellatur enim *שְׁרִירָה* *lorica squamarum*, sive *squamella*. *שְׁרִירָה* autem proprie *squamata*, quibus pisces gaudent, esse, vel illud *Talmudicum* in *Cholin* fol. 66. a. b. nos docet: *חֲרֵשׁ שְׂהֵרָיו עַופֹת וְשֵׁלֶן קְשֻׁתָּה בְּרַגְלֵיהָה*: *Scito, quasdam aves in pedibus habere squamam,*

mas, quales sunt pisces. Neque tamen de squamo-  
fis pisces exuvia factam Goliath loricam propterea  
quis existimet, quam aperte constat aeneam fuisse.  
Est nimirum origo vocis שְׁמַשׁ <sup>אֶל</sup> וּרְבָּה, quod  
perplexum, intricatum, rigidum esse, ut nec solvi faci-  
le, nec explicari, nec flecti possit, significat, arcessen-  
da, cuius vi pisces quidem squamis, quod tam per-  
plexe pertinaciterque corpori cohaerent, & difficul-  
ter penetrantur, tributum id usu praecipue nomen  
est, tralatum tamen haud infrequenter ad quaelibet  
opera, squamatim contexta, ac perritinacissime soli-  
dissimeque continentia, utroque numero, & in nu-  
mero plurium utroque etiam genere, significanda.  
Qua quidem notione cum verbis פְּשָׁתָן, פְּשָׁתָן, for-  
mae suae affinis, & omnibus, quae inde fiunt,  
nominibus, differt. Apte igitur CHALDAEUS Ebr. אֶל  
שְׁמַשׁ <sup>אֶל</sup> וּרְבָּה, reddit, quippe qua constat  
aeque squamas designari. Eam namque vocabuli,  
multitudinis numerum exprimentis, scripturam, a  
forma singulari נְדָבָה, ex omnibus, qui prostant, Co-  
dicibus hic agnoscamus, tametsi & KIMCHIUS Com-  
ment. h.l., & AUCTOR ARUCH כְּלִילָה, בְּלִילָה in בְּלִילָה mutato,  
scriptitent. Squamosam ergo Goliathi fuisse loricam,  
nemo est, qui pervideat. At id tamen aeque inter in-  
terpretes non convenit, solisne perpetuis & artis an-  
nularum aereorum catenationibus concretam eam  
totam ac solidatam, an bracteis tantum, squamatim  
cohaerentibus, obtegnam & pictam quai fuisse, existi-  
inemus. Prius certe illud visum est KIMCHIO, cuius  
סֵבֶבֶת טְבֻעָה שְׁלָמִיָּה, תְּלִוָּה  
ad h.l. verba sunt. כְּמַן קְשֹׁתָה לְסִתוֹם נְקַבָּה חֲכֹבָה כְּרוּשָׁה שְׁלָמִיָּה בְּוֹאָה חֲצָבָה  
הַטְּבֻעָה. Nam quisque annulus loricae suspensus erat in  
modum

modum squamae, ad obstruendum foramen annularum, ne  
per eos transiret sagitta. Quicum paria fecit BEN  
MELECH in Michlol Jopbi h.l. ubi שְׁרוּן קְשָׁקַשִּׁים שָׁמְרוּ וְ  
רוֹצֵחַ לְמַרְאֵת עֲשֵׂה מַעֲשֵׂה קְשָׁקַשִּׁים שָׁמְרוּ וְ  
אֲלֹהֶיךָ קְשָׁקַשִּׁים הַקְבִּיעוֹת בְּוּ כְּלָזָמָר עַל כָּל טְבֻעָה וְטְבֻעָה שְׁלָמָה  
הַשְׁרִירָה הַלְוִיה כְּכָמֵין קְשָׁקַשָּׁת שְׁלָמָה בְּרוֹל לְסְתוּם נְקָפָה:  
הַתְּבֻעָה כְּרוּ שְׁלָא וּבָא חַזְבָּרָה הַטְּבֻעָה:  
Eodem  
redit Vulgati & LXX. Graecorum interpretatio, quo-  
rum ille loricam laminatam, hi θόγανα ἀλυσιδωτὸν, cate-  
natam, five catenulis, ut CORNELIUS a LAPIDE ver-  
tit, contextam, appellant. Ad quorum mentem.  
Commentator Syrus plane   
filiam pectoris catenatam, & ALPHONSVS TOSTIA-  
TVS laminis, hoc est, catenulis, five uncinis pluribus con-  
catenatis, contextum vocat. Secus tamen cum R.  
Salomone, & R. Esia, quorum verba LVDOVICVS de  
DIEV Animadvers. in h.l. excitavit, sentiunt SYRVS  
Paraphrastes, qui  Ebraicum  loricam bracteatum vel laminatam, VATABLVS, qui  
loricam squamis aereis opertam, TIRINVS, qui thora-  
cem ex aeneis laminis contextum, interpretantur. LY-  
RA quoque loricam ipsam, quam reticulatam fuisse  
putat, a  distinguit, quando super loricam,  
ait, Goliathum habuisse armaturam de laminis ferreis,  
per modum squamarum ordinatis, factam, ne per-  
loriae foramina sagitta, spiculum, aut gladius, tran-  
firet. Eandem in rem CAJETANVS Comment. ad h.l.  
Lorica, inquit, fabricata describitur laminis aereis, ad si-  
militudinem squamarum pisces, ita, quod induebatur lorica  
squamosa, h. e. lamina laminam contegente, sicut squama  
squamarum jungitur in pisco. Quae expositio novissime  
etiam

etiam JO. CLERICO arrisit, utpote cui *lorica squamata* videtur esse lorica laminis constans, quarum aliis aliae, squamarum instar, impositae sint. Atque hoc armaturae genus in iis, quae ad orientem sollem pertinent, terris & notissimum fuisse, & usitatis sum, praeter ceteros BOCHARTUS in Phaleg. L. III. cap. XIII demonstrare satagit. Nec sane ignorarunt præsca secula loricas ferreis lamellis, squamatim confertis, dispunctas & exornatas, quae Ἰαχάνων Λειδατῶν nomine vulgo celebrantur, tametsi, praecedentibus temporibus, notior ἡγιαστῶν, ἀλυσιδῶν, ἀγριζωτῶν, hoc est, catenatarum, & reticulato opere contextarum, usus, praecipue apud Gallos, obtinuisse videatur. Quas causas cum perinde, atque certam ac propriam vocabuli לִרְכָּה vim, diligentius ponderamus, propius est, ut ab iis stemos, qui לִרְכָּה ajunt esse loricam acnis laminis, squamatim conserteque junctis, continentem.

## VI.

Proportionem autem loricae istius cum commetiri omnino cum mole corporis gigantei oportuerit, משקל הגוף, pondus loricae, לִרְכָּה שמתה נחatta, quinques mille siclorum extitit. De cuius ponderis ratione ut constet liquidius, tum effecisse nobis videbimus, cum, quid לִרְכָּה hic sit, explicate definierimus. Atque illud quidem principio in vulgus notum esse censemus, לִרְכָּה antiquitus non aës signatum, aut monetam, solo pretio, auctoritate publica constituto, valentem, sed certum metallorum, eiusrum quoque, pondus haberi. Id enim & in vetustissimam com-

commerciorum rationem, quae appenis, repenis-  
que pecunii, non numeratis, inibatur, & in origines  
vocabuli, quas in verbo לְפָנֵי, כַּדְמֵי, appen-  
dere, reperias, rectius convenit. Inde CHALDAE<sup>I</sup>  
non נֶקֶר tantum, quod est ab Ebraeo לָשׁ, mutata  
prima litera, sed פָּר etiam, a verbo ponderandi פָּר  
Ezech. IV, 10. & סָלֵב, quod lapidem proprie, deinde  
pondus, & sigillatim tandem Siculum denotat, passim  
cum eo commutant: LXX. Graeci autem id modo  
σίκλον, modo σάργον, modo δίδυχον, interpretantur.  
Prorsus ut multum errent, qui loricam Goliathi non  
quinquies mille siclos aequaliter pondere, sed totidem  
siclorum pretio emtam esse contendunt. Siclos au-  
tem singulos נֶקֶר עֲשָׂרִים, hoc est, ut LXX. Graeci red-  
dunt, εἴκοσι ὅβολοις, aut minutissimis aeramentorum  
segmentis valuisse Exod. XXX, 13. Levit. XXVII, 25.  
Num. III, 47. Ezech. XLV, 12. aperte docerur. Vnde  
facile totius loricae pondus aestimari fere poterat,  
si quam divinior historia definivit, eadem omnium  
siclorum fuisse ratio communiter crederetur. At  
quodaliquando רְקָרְבָּן שְׁלָק, Siclus Sanctuarii, nonnun-  
quam הַמְּכָר II Sam. XIV, 26. nominatur, id vero  
quamplurimis materiam dedit, de duplice siclorum  
genere, quorum prius appellant *sacrum* & *majus*, quod  
XX, nimirum gerarum esset, posterius *vulgare*, *minus*,  
*profanum*, *provinciale*, *regium*, *civile*, *politicum*, quod  
semisiclo sacro responderet, cogitandi. Idem CL.  
Viro, SEBASTIANO SCHMIDIO, praeter ceteros vi-  
sum est, Fasiculo Dispp. Dispp. XIV. de Didrachmis a  
Christo solutis Matth. XVII, 24. seqq. adhibito tamen  
aliquo perulgatae opinionis temperamento. Etsi  
enim siculum *sacrum* a *siclo profano* omnino distinguen-  
dum

dum judicat; utriusque tamen generatim idem pondus, at valore diversum, fuisse air, propterea, quod sclus sacer e puro solidoque argento cusus sit, profanus autem nonnisi octavam partem argenti, ceteras septem aeris, habuerit. Atque inde factum putat, ut uterque sclus duarum quidem drachmarum pondus aequaret, sacer tamen materiae bonitate tantum, quantum duo profani, valereret. Quae omnia eo consilio erudite ac subtiliter a Viro CL. disputantur, ut LXX. Graecos cum JOSEPHO ac PHILONI conciliat, quippe quorum illi sicutum sacrum per διδαχην, hi per τετραδιδαχην interpretantur. Nec aegre quisquarum, Christi aevo ita evenisse, sibi forte persuaserit, quo Iudei Babyloniorum, Graecorum, Romanorumque imperio subinde pressi, gentiumque commerciis frequentius permitti, externis aliquantum legibus adficiere sunt coacti. At, libera eorum republika, & Mosis quidem aetate, eam fuisse sicutorum ratione, ut credamus, nullo adhuc idoneo nos argumento adactus videmus. Nam quod sclus sigillatim שׁוֹר וְקַרְבָּן, sclus sanctuarii, interdum nuncupatur, id vero non ad indicandam sicuti sacri a profano aliquo dissimilitudinem, sed ad exemplum normae publicae, in divina aede asservatae, ad quod omnium ponderum ratio proportione communiter exigi deberet, constituendum referri oportere, conjectamus. Quam in rem PATRICIUS, Comment. in Exod. XXX, 13. simile laudat JUSTINIANI Imperatoris institutum, qui, ut certae ponderum ac mensurarum publicarum regulae in praecipuis civitatum templis custodirentur, editio sanxit. Consimilem huic morem CASPAR EISENSCHMID in libello supra laudato Sect. II. cap. I.

p. 65.

p. 65. etiam penes Argentoratenses obtinere refert,  
quippe a quibus in mole, ad aerarii usus olim exalta-  
ta, quam den Pfennig-Thurm appellant, & in quam  
semel per annum, memoria videlicet D. JOANNIS  
BAPTISTAE, aditus patet, communis mensurae nor-  
ma & exemplum de solido metallo asseretur. Nec  
vero אָבִן הַמְלֵאָה pondus regium, II Sam. XIV, 13 com-  
memoratum, a שְׁלֹשׁ קָרְבָּן sanctuarii diversum fu-  
isse, ut statuamus, illo divinioris indicio Codicis per-  
movemur. Ut enim תְּכִנָּה generatim quidem omne  
pondus, propterea quod lapidibus primum usi homi-  
nes ad expendendas res videntur, Deut. XXV, 15, at  
h. l. tamen sicutum sigillatum ac praecipue, quoniam  
cum voce סְלִיחָה cohaeret, significat: ita nunquam  
paucioribus, quam נֶרֶת עֲשָׂרִים viginti geris, sicuti pon-  
dus sacrator historia definit. Regium autem pon-  
dus appellari sicutum opinamur, quod ponderum men-  
surarumque cura in primis ad reges, tanquam aequi-  
tatis publicae, communisque justitiae arbitros, perti-  
neret, quippe quorum erat, ne quis, privati com-  
modi cupidior, mutare constitutam a Deo, receptam-  
que, normam auderer, cavere, & in defultores ejus  
legis animadvertere. Apte hanc in rem MARTINUS  
in Notis Bibl. Gall. ad II. Sam. XIV, 26 La raison pour  
laquelle il est parlé ici de sicle, ou du poids du Roi, c'est  
que les poids étant une chose, qui regarde la police, &  
Dieu, s'étant comme démis dudroit de souverain Magis-  
trat d'Israël en faveur des Rois, les poids, qui dans les  
autres temps avoient été appeler POIDS du SANCTU-  
AIRE, furent appellez en suite LES POIDS DU ROIS,  
parceque c' étoit au Roi à faire garder l'éalon ou le mo-  
delle de chaque poids, afin que tous ceux qui avoient cours

D

dans

dans ses Etats furent faits sur celui-là. Idem quoque ad Gen. XXIII, 10 docet, δέκαχα, quam vocem LXX. Graeci Ebreae ἑρά redditum, penes ALEXANDRINOS, ubi transcriptus in sermonem Graecum Codex Ebraeus est, quatuor drachmis Atticis, adeoque unam drachmam Alexandrinam duabus Atticis, valuisse. Les Septante, inquit, ayant fait leur Version à Alexandrie, ils ont pris la drachme pour la valeur qu'elle avoit en ce pays là; or il est certain, qu' elle étoit le double de celle, de Grece, & qu' ainsi le didrachme d' Alexandrie, & par consequent celui de la Version des Septante, valoit quatre drachmes Attiques, qui étoit, selon Joseph Antiq. I. V. c. IX la juste valeur du sicle: c' est pourquoi ces mêmes Interpretes ont traduit par le mot de didrachmes les passages où il s' agit des sicles sacrez de même, que ceux où il n' est questions, que des ventes & des achats purement civils: comme on le peut voir en comparant ce passage & celui du b. 20, 16, ou il sont employé le même mot, & Ex. 21, 32, avec Ex. 30, 13, Lev. 27, 3, 4, 5. &c. Quae si ita sunt, nihil opus est isthac oppido subtili, & ingeniosa magis, quam verosimili siclorum, materiae valo- risque respectu, distinctione, quando JOSEPHUS ae- que ac PHILO, sicutum quippe Ebraicum ad drachma- rum Atticarum rationem exigentes, cum Graecis LXX. Interpretibus, Alexandrinarum pondus drachmarum respicientibus, bene concordant. Proinde constat, fibi aliquatenus illa Commentatoris Syri, non ad sicutum communem, ut vult LUDOVICUS de DIEU ad Sam. XVII, 15, sed ad Alexandrina pondo, exacta computa- tio, pondus loricae Goliathi, quod quinque mille siclorum fuisse dicitur, consecuisse 1. m. 1. m.

1103

1101

decies mille  
drachmas, quae faciunt octoginta tres libras Babyloni-  
cas, & quatuor uncias. Quam summam, si ad Roma-  
nas rationes referas, non mille, ducentas & quin-  
quaginta uncias, seu, centum ac quatuor libras & du-  
as uncias, uti quidam, quibus sicutus Ebraeus quarta-  
uncia pars, sive δέραχον Atticum est, supputarunt,  
sed bis mille quingentas uncias, hoc est, ducentas & octo  
libras, ut sicutus semiuncia Romana, sive τετράδραχον  
Atticum sit, lorica Goliathii aeris pondere aequavit.  
Nimium id si cuiquam videatur, CLERICUM audiat,  
qui Comment. h. l.: *Magnum quidem, inquit, hoc pon-*  
*dus, sed non nimium corpori tantæ statuae.* Nec mul-  
to minus esse potuit, ut squamae istae gladiis, hastis  
& sagittis, resistere possent. Quae autem definito  
huic loricae ponderi adjecta est vox ησην, materiam  
illa quidem, ex qua confecta lorica erat, omnino de-  
notat, ut LXX. Interpretes caussam non habuerint,  
cur voci χαλυψ adderent σιδηρος: at argumento non  
est, aeneos quoque cufos antiquitus sicutos esse, pree-  
fertim cum non, nisi argenteorum, divini scriptores  
ficerint mentionem, dum vocabulum ραβαν haud ra-  
ro cum λρω, distinctis locis commutarunt. Plura-  
in eam rem qui nosse cupiat, CASPAR. WASERUM  
de Antiquis Ebraeorum Namis, CUMBERLANDIUM &  
EDUARDUM BERNARDUM, Anglos, de Ponderibus &  
Mensuris Antiquorum, SEBASTIANUM SCHMIDIUM  
l.c., JO. CASP. EISENSCHMIDIUM l.c., VILLALPAN-  
DUM, ceteros, perlustrare ne gravetur.

D 2

VII.

## VII.

His ergo tegumentis cum superior pars corporis à telorum irruentium vi satis tuta crederetur, pedum quoque provisum est securitati. Inde est מִצְבָּח נַחֲשָׁת עַל רֶגֶל, frontale aereum super pedibus Goliathi, quod LXX. Graeci ὄνυμας χαλκὸς ἐπὶ τῶν σκελῶν διέδιε interprantur. Est autem κάρην, judge SUIDA in Lex. p. 148. τὸ καλὸν τὴν σκέλες, concava cruris pars, & καταμίσις, τὸ περιθέμενον τοῖς ποσὶν ὑπὸ τῆς καρῆς, calceamentum, quod pedes sub cruris concavitate ambit. Eandem fere notionem VOSSIUS in Etymol. L. L. p. 352. ex Varro-nis IV. de L. L. & Isidori Orig. L. IXX. c. XXXIV, trahit, quando id, quasi ex ob & crura conflatum, ita fuisse nuncupatum ait, quod crura obtegeret. Aliam FESTUS jam olim meditatus est, cum ocreas ab O-eris, tractu Alpium humillimo, qua ad Carnos itur, aspero tamen & confragoso, appellari scriberet, quod, ad ejus similitudinem, esset calceamentum altum, & veluti in collem surgens, quale GERMANI Stiefel, & ITALI Stivale vocant, forte à Steiff, hoc est, rigiditate, quae vox Germanorum Graeco vocabulo σύφαν, constringere, propinqua ortu videtur. Vetus interpres Germanicus Ebraeo מִצְבָּח reddidit vocabulum Knieschürven, quod proprie patellam genu, five os genu anteriorius, significat. BELGA exponit per Scheen Harnasch. Vocem Scheen autem, five, ut nostro sermone dicitur, Schinne, praecipue, si, ad quarundam gentium morem, duriuscule, quasi Skeene, pronuntietur, oppido affinem esse Arabico ئَلْسَ، crus, tibia, seu potius duali ejus numero ئَلْسَيْنَ، quo ipse interpres ARABS hic utitur, dum Ebraea illa, מִצְבָּח נַחֲשָׁת עַל

בְּגָלוֹ יְפֵרֶס סַאֲקָנָן מִן תְּחָסִי וְסֻעָּרְבָּן אֶת super eo duo  
crura ex aere, interpretatur, haud inepte suspiceris.  
LUTHERUS reddit einen Beinharnisch, CHALDAEUS  
טְרָקְלִילִין, quasi טְרָקְלִילִין thoracem parvum; SYRUS  
וְתְּמָנוֹתִין ocreas aeneas, tibialia, non id male qui-  
dem, ampliori tamen vocum, quam, qui vocabuli  
מצחה certam propriamque notionem definit, signifi-  
catu. Est enim מִצְחָה forma debilior à מִצְחָה, cui ma-  
xima cum verbo מִצְחָה intercedit cognatio, ita, ut à reliquo  
proprię frons sit, à glabritie & nitore, quo à reliquo  
capite distinguitur, appellata, מצחה idem, sive et-  
iam, quod ad modum frontis conficitur, aut fronti apta-  
tur. Tanto autem minus est, cur מִצְחָה de crurum  
tegmine dici miremur, quo familiarius est aliis gen-  
tibus, anteriores rerum partes, faciesque, frontium  
nomine insignire. In scirpo igitur nodum quaerunt  
JARCHIUS, &c., qui eundem sequitur, LYRANUS ad h.  
l., dum ocreas Goliathi מִצְחָה vocari asserunt, quod  
esseat lamina à casside propendens, regens nares, indeque ad  
collum & pedes porrecta. Ita namque מִצְחָה non peculi-  
are ac separatum armaturae genus, sed galeae quae-  
dam appendicula, insolens tamen ac prodigiosa, fu-  
tura est: id quod praeter expressa in fontibus verba  
fingi recte asserit TOSTATUS. Probabilius multo  
Kimchius ait טְשׁ מִצְחָה laminam fuisse, crura munientem,  
appellatam ita à similitudine proprio dictarum,  
hoc est, bractearum, vel aurearum, vel argentearum,  
quibus olim puellae frontes ornarint. וְמִצְחָה, inquit  
Comment. ad h. l. נִחְשָׁתִי וְתְּטוּקְלִילִין רְנַחַשׁ פִּי טְשׁ שְׁלָמִים  
נִחְשָׁתִי תְּלוּיה עַל רְגָלוֹ לְכָסָותָם וְהֵוָה שֵׁם מִשְׁאָל מִן מִצְחָה כִּי  
כִּי נְזַחְתָּה הַגְּנָעָרוֹת טְשׁ הַזְּהָב אָוּ כְּסָף עַל מִצְחָה וְאוֹתוֹ נִקְרָא

Gemina his sunt R. BEN MELECH  
in Michlol Jophi ad h. l. verba: מצחח על רך האמתה: מצחח. טס של נחשון מצחח שחריה כרמות המצח שנסחרות על מצחון וקראו מצחח שחריה כרמות המצח שנסחרות על מצחון הנערות ואוינו נקרא מצחח על רך האמתה והרא שם כושיאל Proinde nihil impedit, quin cum GUSSETIO Comment. L. Ebree p. 479. laminam acream modice inturbaram, qua interior tantum tibia tegitur, aut cum FORSTERO in Lex. p. 452. frontem factitiam & artificialem, quae ante crura est, vel cum PISCATORE, Comment. in h. l. tibialia, quae anteriorem partem crurum, quemadmodum frons anteriore, partem capitis, operiunt, interpretemur. Neque tandem cum ANTÓNIO BYNAEO, de Calceis Ebr. p. 87. seqq. מצחח idem esse ac בגעל Deut. XXXIII, 25, calceum scilicet ferreum, aut acneum, ausimmo definire, tametsi ceterum ab eodem haud incongrue verba Mosis l. c. : ברול נחשת בגעל ferrum & aes calceamen. tum ejus, ad virtutem Ascheritarum bellicam, à Mose, dum conciperet vota, divinitus praevifam, relata quibusdam videantur. Aereas autem, vel aeratas ocreas, quas ὑπνίδας Graeci vocant, militare imprimis calceamentum fuisse, HESIODUS praeter ceteros, & HOMERUS, docent, dum ille in Scuto v. 122. Herculi cum aureo thorace ὑπνίδας ὀρειχάλιο Φαινός ocreas ex orichalco splendido; hic Achilli Iliad. l. 612, ὑπνίδας ἕανδις καστηλέοι, ocreas ex splendido stanno induit, & Achaeos, bello strenuos Iliad. n. 41. χαλκονυπνίδας ἄχαιος appellat. Nec est fere, quod contra afferri queat, ex omni antiquitate exemplum, nisi EMPEDOCLIS Agri gentini, quem Suidas, Philostratus, Favorinus, Aelianus, Diogenes Laertius, Tertullianus de Pallio Cap. V. & ex his

his BALDUINUS de *Calceo Antiquo* p. 40. seqq. purpura & calceis aeneis vestiri consuevisse, magna confessione asseverant. Quodsi *Goliathi* מֶלֶךְ ocreis similes opineris, necesse est, ea confectos ratione puttes, ut si non totam tibiam, saltim anteriorem, quae porrigitur, pedem operirent: quanquam non inepte mutatam, procedente tempore, formam, servato prisco nomine, augureris.

### VIII.

Vidimus ita ὄπλα Φυλακῆς Goliathi: consequitur, ut de ὄπλοις αὐνηθέοις ejusdem, quibus ad profili gandos hostes uisus est, exponamus. Ejus generis primum divinus Scriptor כָּרְנֵן nominat, quae vox varias interpretum, cum à seipsis, tum ab aliis dissentientium, experta est expositiones. GRAECI certe eandem Jos. VIII, 18, 26. γαῖσον, lanceam, telum, I. Sam. XVII, 6, 45 ἀσπίδα, clipeum, Jer. VI, 23, μάχαιραν, gladium, Job. XL, 29 πυξόζον, igniferum telum, interpretantur. CHALDAEUS Jos. VIII, 18, 26 & I. Sam. XVII, 6, verba בְּרַפְשׁוֹר בִּן כְּרַחֲמָא קְלָסָא וּמְטָל רְנַחֲשָׂא בְּנֵי כְּרַחְמָא hoc est, *Hasta aere, exiens ex galea, ac gestata, ex aere inter humeros ejus, surrogavit.* SYRUS pro ea interdum vocem لَمْ—أَنْ<sup>ل</sup> quale bumerale designat, alias כְּרַחְמָא, quae lanceam notat, adhibet. Nec minus in ea reddenda inconstans ARABS est, quippe qui Jos. VIII, 18, & Jer. VI, 23, per בְּרַפְשׁוֹר jaculum, I. Sam. XVII, 45 per لَمْ—أَنْ<sup>ل</sup> scutum, exponit, I. Sam. XVII, 6 autem, Chaldaei sequutus auctoritate, ita circumloquitur: بَرَقْسَانْ مُنْجَرْ وَنْ سُكَّاپَسْ قَنْجَلْ لَرْيَ أَسْغَلْ كَسْكَلْ hoc

hoc est, super caput ejus tegmen aeneum ad humerum extre-  
mum demissum. Tam mira principum interpretum  
varietas minorum Deos gentium in diversa inter-  
pretamenta distraxit, prout quisque vel sequendam  
sibi, vel deserendam, illorum auctoritatem putavit.  
Ita namque KIMCHIO in Lexicovidetur esse  
כִּרְוָן כְּלֵי מַנְדָּבָן לְחַפּוֹן tegumentum eiusmodi militare, quod, cli-  
peo instar, humeros Goliath'i texerit: JARCHIO cuffis  
aerea e galea in acutum, ad modum hastae, inter hume-  
ros porrecta, quae collum a gladiorum iictibus tueretur:  
LEVI Ben GERSOM פְּגַעֲתָאָמָּחָלָו five collarium: aliis  
lamina ad modum tabulae facta, quam SYRI حَمَّامَةٌ,  
GRAECI τράπεζαν vocant. Contra & a se ipso, & ab  
aliis, discedit KIMCHIUS, quando ad I. Sam. XVII, 6,  
veluti errorem suum emendaturus: inquit,  
ולפי הפסוק כתוב לטה שאמיר לו רוד לנויות אתה בא  
אל בחרב ובכנית בכיר� נרא כי כירון זהו רמח כמו  
נתה בכיר� והוא עשו להקות בו לא להנו: Nec quis-  
quam est Lexicographorum, praeter GUSSETIUM,  
qui in explicanda vocis significatione haesitet, et  
nunc armaturam generaliter, ut CASTELLUS, nunc  
scutum, humerale, clipeum ac hastile, interpretetur.  
GUSSETIUS tamen Comment. L. E. p. 381 & BOCHAR-  
TUS Hieroz. L. II. C. VIII. p. 159 per כִּרְוָן telum exitia-  
le ajunt, significari, quippe quod vocabulum, cum a כִּרְוָן  
exitium, cladem, contritionem denotante, sit, perinde  
ab effecto certo proprioque, pernicie videlicet, ut  
חרב gladius a valfando, וְ sagitta, ab exscindendo,  
סְרִי balista a delendo, nomen obtinuisse videatur.  
Et sane, si accurate rem ponderemus, nihil ille vide-  
tur a propria & usitata vocabuli notione dixisse alie-  
num.

num. Praeterquam enim, quod *I. Sam.* XVII, 45 cum  
חֶבֶב, gladio, & חַבְתָּה, armis ad vim inferendam  
comparatis, כִּירֵן componitur, *Jos.* VIII, 18, 26, quo-  
que non aliam commode, praeter lanceae, aut teli  
huius similis, significationem admittit. *Vexillum* e-  
nim id si quis interpretari malit, aut eidem voci di-  
versissimos significatus, ubi nulla urget necessitas,  
effingat, oportet, aut, *Goliathum* ad singulare, quod  
cum Davide ineundum erat, certamen cum vexillo  
venisse, sentiat, quod absnon foret credidisse. *Cli-  
peum* autem quin fuisse כִּירֵן putemus, impedit נָשָׁא  
נָשָׁא, portator clipei, qui praecessisse dicitur *Golia-  
thum*, ad praelium proruente. Leve id quidem  
ac fidelium causae nostrae firmamentum CLERI-  
CO visum est, qui *Comment.* ad h. l. נָשָׁא הַצְבָּה perin-  
de, ut נָשָׁא לְחֹמֶר, generale officii nomen esse, armi-  
gerumque, non, qui semper arma gestet, sed qui ge-  
stare interdum soleat, significare contendit, ex eo  
que nihil obstat arguit, quin, scutum, à *Goliath*  
humeris pependisse, & נָשָׁא הַצְבָּה, armigerum, illi vi-  
am praeviisse affirmemus. At viderit *Vir* Clarissi-  
mus, ne, dum aliorum robur solicitat, ac labefactare  
conatur, exiles ac tenuissimas opes prodat. Argumenta  
certe, quibus contra *Bochartum* pugnat, tan-  
ta sunt minime, quibus, ut secessionem ab eo faci-  
amus, permoveamur. Non id operose *Virum* CL.  
admonebimus, quod CHALDAEUS, SYRUS & ARABS  
נָשָׁא הַצְבָּה non generatim armigerum, sed חֲרָסָה  
ferentem scutum, נָשָׁא הַצְבָּה portantem scutum,  
virum gestantem clipeum ejus,  
interpretantur. Ad illud autem acriter intendat a-  
nimum,

nimum, quid armigerō, seu clipei portatore, stipatus  
ad pugnam, si ipse tulit clipeum, *Goliathus* processer-  
it? Num otiosum & vacuum credibile est tum an-  
tecessisse, cum maxime ejus ministerio dominus in-  
digeret? Quod si omnino vacuum fuisse puter, cur  
*לְפָנָיו, ante dominum,* iverit, definiat. Sed *חַנִּית*, inquit,  
& *חרב*, *bastam* & *gladium*, habuit *GOLIATHUS*: quid  
*lancea* opus fuit? Poterat eum, si attendisset, *BO-*  
*CHARTUS Hieroz.* L. II. cap. VIII. p. 139. uberrime e-  
docere, haud insolens fuisse orientis populis, praeter  
*arcum* & *pharetram παλτά δύο, ὥστε τοῦ μὲν αὐθέντα, τὸ δέ,*  
*ἀν δέπι, εἰς χειρὸς χειρόθεαν, duo pila gerere, quorum alterum*  
*in hostem omnis jacularentur, alterum, ubi cominus*  
*pugnandum foret, adhiberent.* Id ille sigillatim,  
praeter cetera plura, ex probatissimis auctoribus col-  
lecta hujus generis argumenta, de Persis ex *XENO-*  
*PHONTIS Lib. I. Cyropaed.* refert, in quos videlicet il-  
lud *Jeremiae* dictum extat *Cap. VI. 23, & Cap. L. 42*  
*קָשֵׁת וּבָרוֹן יְהוּדִים* arcum & *Chidon* h. e. lanceam ca-  
piunt. Non igitur absonum fuerit, asseruisse, *Goli-*  
 *athi חַנִּית* *bastam justam* *כִּרְוִין* telum brevius, lanceae,  
ficae, pilo, gaeso, aut sarissae, simile fuisse, quippe  
eius generis arma olim ab humeris militum suspen-  
sa esse, idem *BOCHARTUS* fuse demonstrat. Quo  
minus nos fallaces illas, & captiosas, *Clerici* interro-  
gatiunculas ferimus, quando a *Bocharto*, qui conce-  
ptis expressisque verbis l.c. *כִּרְוִין* telum brevius, ab hu-  
meris suspensum, nuncupat, ut idoneis argumentis com-  
probet, longiores quoque hastas a militum humeris  
olim suspendi consuevit, postulat. Nec isthaec *Cle-*  
*ricum* decuit interpretationis calumnia, qua *Bochar-*  
*tum* ait in *JOSEPHI כִּרְוִין* per dāgu explicantis, auctori-  
tate

tate praesidium ponere, cum ille l.c.p. 137, & 139 JOSEPHI locum ex *Antiquit. Lib. VI c.X.* non alio consilio exciteret, quam ut doceat, *Theodoreum*, cum *Quaest. II. in Josuam* כירון a Josepho per ἀστιδα exponi scriberet, aut memoria lapsum, aut Josephi verba praelegisse. Proinde salva perstat etiamnum a Clerici suggestionibus Bocharti sententia, praesertim cum cetera, in quibus כירון occurrit, oracula teli significationem non tam admittere, quam exigere videantur. Quorsum in primis loca Jobi XXXIX, 23, & XLI, 21 pertinent, quippe ubi sonare vel stridere in equum pharetra, muro bastae & Chidon, & Leviathan ridere vibratum dicitur: id quod de clipeo, qui nec mucronem habet, nec vibratur, intelligi nequit. Nec quicquam nostrae interpretationi officit appellatio loci גירן כירון, I. *Paralip.* XIII, 9, commemorata, quippe quam, si ex internecione usus ortam credas, nihil sane est, quod vocis origini aduersetur: sin aliter, saltem nihil idoneis rationibus effici, quod obsit, potest. Itas autem Celeberrimi Clerici argutias vix capimus, quando, ut בירן clipeum esse approbet, ex Arabicō vocabulo كُبْكَع, quod dolum, fraudem, insidias, stratagema, significat, veluti cognato, eam extorque re nititur notionem. Finge enim קָבְקָע & כירון ab una origine, verbo videlicet كَلَّا, decepit, insidias struxit, & affinis maxime significatus esse: qui, כירון esse clipeum, evinces inde, quem constat aptum quidem ad muniendum, tegendumque, corpus esse ad insidias autem hosti struendas minime? Quanto autem magis id, si talia consecutari malis, in pilorum &

lancearum rationem convenit? Causa igitur nulla est, quamobrem plus Clerici, quam eorum opinacioni tribuamus, qui קירון Goliathi ἐπωνίδα, aut ferrum περιτραχήλιον, interpretantur. His quidem Chaldaei imposuit auctoritas, & Arabis, Syrique, quorum duo priores, ut supra expositum est, קירון tegmen aeneum super capite Goliathi ad extremitatem humeri demissum, tertius קירון, vel ut alii rectius legi praecipiunt, קירון, τράπεζαν, hoc est, laminam ad mensae modum inter humeros porrectam, appellat. Meminisse, nimirum illos decebat, nihil opus esse experimento capitidis, ubi jam casside illud egregie undiqueaque munatum fuisse dixerant; hunc, non קירון עץ, super humeros, sed קירון בון, inter humeros ejus, collocari, nec indiguisse lamina ejusmodi humerali, cuius humeri iam aenea lorica tegebantur. Idem vero & ii cogitent, qui περιτραχήλιον quoddam, praeter fontium auctoritatem, & vocabuli קירון naturam, indolemque, fingunt. Nos autem, dum firmiora, & idonea magis Belga CL afferat argumenta, assentimur BOCHARTO, tametsi plerosque gentium interpretes dissentire nobiscum videamus.

## IX.

De summa rerum autem decertaturo, קירון, seu Zelum brevius, sufficere minime videbatur. Armando quoque dextra longiori telo erat, quod קירון divinus scriptor appellat. Id vero bastam significare, & a קירון castra metari, quod praecipuus ejus in castris usus eset, originem ducere, inter omnes Grammati-

cos

cos convenit. Nec est temere interpretum quispiam, quin id cum Chaldaeo מִרְגָּחַ, aut ἐποχαντέρος, מִרְגָּחַ, cum Syro ﺪَرْ, cum Graecis δόγη, αὐτόν, aut περιφέλον, cum Anglis Speare, cum Gallis Hellebarde, cum Lutherio Spies, cum aliis similiter, interpretetur. Proinde id solum danda nobis est opera, ut, quae significat divinus scriptor de hastili & cuspide, tanquam distinctis hastae partibus commemoravit, altius expendamus. Hastile autem quid, & quale, fuerit, duplex nobis, in geminis olim Codicibus obvia, & a Māfōrēthis per noram כתיב & קרי indicata, nec tamen, qua definitam significandi vim, diversa vox נֶזֶב atque נֶזֶב declarat: quod Scripturæ genus a Viro CL. MATTHAEO HILLERO, in Artano Ketib & Keri Libr. I. p. 84. in quartam כתיבן effabilium classem erudite reducunt esse deprehendimus. Nemo tamen est, qui suopte judicio affequatur, נֶזֶב, si ad vivum certas propriasque vocabulorum notiones resecemus, potissimum hastili formam, נֶזֶב contra ejus materiam propius exactiusque definire. Quo minus nobis reprehendendi ostenduntur, quando נֶזֶב, vel נֶזֶב, נֶזֶב, contum, lignum teres & oblongum, interpretantur, cum utriusque indoles vocabuli facilime isthanc expositionem patiatur. Nec enim officit illi, quod Chaldaicum aequa, ac Syrum, & Arabum, scripturam נֶזֶב pressus securos esse animadvertisimus, dum ille Ebraeo reddit נֶזֶב, quae forma est ἐποχαντέρος a simpliciori נֶזֶב, iste non minus significanter לְמַטֵּה, ab absoluto לְמַטֵּה, hic لَمْبَعَةٌ, quae singula lignum communiter denorant. נֶזֶב enim, si ex originibus suis aestimes, quarum vi, quod praeacutum, faciendisque,

*fissuris aptum est*, significat: quid impedit, quin *lignum porrectum, & in acutum desinens*, quale esse conti, quippe in armis etiam aliquando habiti, nec sagittis omnino dissimiles, solent, eodem nomine olim appellatum credamus? Caussa igitur non est, quonobrem expungendam hanc scripturam cum aliis, aut solam, reiecta altera *vv.*, cum LUDOVICO CAPELLO in *Crit. S. Libr. III. cap. VIII. XI.*, retinendam censeamus. Nam ut altera, hostile illud *Goliathis teres, &c., in modum sagittae, tornatum fuisse*, innuit: ita altera sigillatim, id non e corio *hippopotami, aquatiae belluae*, ex quo *Eusa diuaria & degara* olim confecta esse, auctor est *Phil. Hist. L. II. c. VIII.* aut *aere, ferrove, sed ex ligno solidio fuisse* docet: utraque autem *contum, perticam, longurium, tignum*, quod acuto ferro cuspidari solet, extitisse, generali, communique notione, hand obscure indicat. Ceterum, & *fraxineis*, quae *PLINIUS Libr. XVI. cap. XIII.*, propterea quod procula, teretia, pennatisque foliis, hostia item *Achillis*, ab HOMERO decantata, multum consecrata veluti, ac nobilitata sint, hostilibus aptissima, putat, an aliis lignis, contus ille asciatus fuerit, parum nostra interest cognovisse. Id vero praetereundum non est, tantae illum proceritatis ac magnitudinis fuisse, ut jugo textoris similius, quam hostili, videretur. Hoc enim velle sibi verba sacraticris historiae, *וְחַנּוּ כָּפֹר אֲנוֹגִים* (vv. *vv.*) omnium mens est Interpretum: tametsi inter plerosque, unde vocis *כָּבֵר* origo repetenda sit, parum convenient. FORSTERUS certe in *Lex. p. 44.* in *Aegypto* natum, indeque ab *Israelitis* translatum esse, contendit. Arbitror, inquit, nomen hoc esse *Aegytiacum*, siquidem *Aegyptii*,

ptii, unde Israelitae migrarunt, celebres fuerunt in arte  
textoria, atque inde eam quoque secum in terram promis-  
sam cum nomine isto deportarunt. Longius hoc, nec  
injuria, petitum putet, qui malit id cum Kimchio a  
verbo נור, ex quo נור, novale, nobis reliquum est, de-  
rivari, praesertim cum in Targum pro שול, jugo, no-  
men ניר adhiberi videat. Prorsus tamen rem FOR-  
STERUS tetigit, dum lignum teres & oblongum,  
cui fiamen textorum circumvolvitur, esse ait, secutus  
videlicet REICHLINUM, qui id, in Concordantia E-  
braicis p. 408. seqq. clavum textoris, liciatorium, lignum,  
circa quod textor, dum texit, volvit, & plicat, pannum  
consentientibus & approbabibus BUXTORFI, MER-  
CERO, CASTELLO, ROBERTSONIO, ceteris, inter-  
pretatur. Novissime GUSSETIUS Comment. L. Ebr.  
p. 470 de פנוּ : Et sane, inquit, non est instrumentum  
manuale textoris, quippe illud prius est tam crassum, ut  
bastagigantis per acqualitatem cum illo describatur. Tex-  
tores autem tam crassa instrumenta non habent manu  
tractanda. Praeterea est aliquid teres, & cylindrifor-  
mam imitans. Nam lignum bastae formam illam habet.  
Ergo melius exponi non potuit, quam jugum. Conso-  
nant his LXX. Graeci, qui κύρον exponunt per μίστα  
κλων, Chaldaeus, qui per אַכְסָתָן, syrus, qui per حُوَلَّ,  
Arabs, qui similiter per جُوْنَى explicat, & praeterea,  
ut molem ejus accuratius despingat, eidem voci vo-  
cabulum لِلْهَلْهَلْ praemittit, dum fuisse illud ait, شَخَطَتْ  
الْمَوْلَى, instar crassi jugi textoris. Quia ipsa adiectio,   
praetermissum a se, quod in Ebreo est, nomen  
אֲוֹרֶב, in cuius locum CHALDAEUS רְגֹוֹרְבִּי, SY-  
RUS لَهْلَهْ, uterque a communi radice גְּרָרְבִּי, fo-  
nere,

xere, unde גָּדוֹלָה, γεράς, γερός, textor, GRAECI  
וְפָאוֹרְתָּא, surrogarunt, videtur compensare voluisse.  
Illi autem אַרְנוֹן qui proprie fuerint, quam artem  
fecerint, & quomodo, si quis nosse penitus velit.,  
GUSSETIUM Comment. L. E. p. 92 & 805 seqq. confu-  
lito, ubi vestes, sacerdotum in primis, ac Levitarum,  
ab iis, ope radiorum, in textrinis, quali crines SAM-  
SONIS Jud. XVI, 13, 14, implicatos esse credit, confe-  
ctas, solarumque illarum textrinarum proprium,  
quod מִנְוָר appellatur, lignum ac instrumentum esse,  
fusius edisserit. Ex quo facile pro se quisque intel-  
ligit, חֲנִית hastam Goliathi, tanto quippe hastili arma-  
tam, ejus fuisse generis, quod ἀγκυλάς & ἄσπις  
Gracci vocarunt, ut frequentissime est apud Homerum,  
tantae autem molis, ut recte in eam conveniat illud  
VAL. FLACCI Argon. Libr. VI. v. 255:

ingenitem campis hostilibus umbram  
Fert abies obnoxia genu.  
Nimirum decuit Heroem scilicet gentis suae, antesi-  
gnanum certe, veteri, quem HOMERUS passim.,  
STATIUS Thebaid. Libr. IV. v. 86 tangit, ritu, non tantum  
כִּירָה, lancea, vel pilo, instructum procedere in aciem,  
sed & hastatum, ita quidem, ut ferramenta cuspidis,  
pondere, ornatique, hastilis magnitudini responde-  
rent. Neque enim pura hasta, qualis a Romanis pre-  
mium fortitudini ac victoriis statuebatur, opus erat  
in dubium, decretoriumque, de imperio certamen  
descensuro. Fas igitur erat militem, non gregarium  
illum quidem, sed publicae libertatis, imperiique  
novi, assertorem scilicet, mucrone hastae politius li-  
mato, ac nitidius coruscante, uti, cum armorum ru-  
bigo inertiam otiumque arguere videatur. Hinc  
לְחֶבֶד

להבת חנית, *flamma hastae*, ei a divino scriptore attribuitur. Neque enim licet illud cum HIERONYMO, JUNIO, ceteris, per *hastam micantem*, aut *splendentem gladium*, quasi להבת participii forma esset, explicare, nisi temerare literas vocales, in divino Codice expressas, aut ab *Arabum* verbo *حَرَقَ* ardendi, vel *accendendi* notione *Ebraeae* voci להבת cognato, firmamentum causiae petere velis, quorum illud nefas ac sacrilegum, hoc incertum ac dissonum, haud injuria haberi possit. Esse autem להבת formae nomen constructae, a להבת, quod *flamman* proprie, tralate *aciem* nitore quasi *flammantem* denotat, jam olim agnovere CHALDAEUS, SYRUS & ARABS, cum illud שְׁנָאָה, شَنَاءٌ, سُلْطَانٌ a communi origine נִשְׁאָה acuere, ex-polire, *cuspidare*, *aciem*, *acum*, *cuspidem*, interpretarentur. Nec discrepant ab his LXX·GRAECI, si, vocabulum λόγχη mucronem, quae frequens ejus est a· pud *Graecos* notio, significare, insequens pronomen αὐτῆς autem ad praecedens nomen δίστα referri oportere, existimetur. Est igitur להבת חנית idem, quod *Nab.* III, 4, ברק חנית appellatur, *praefixus* vide-licet *hastili mucro*, isque *politus ac laevigatus*, ut, *praecipue* ad solis radios vibratus, *praefringere* visum, mentirique fulgura possit. Ne vero is quoque ex aere solido fuisse crederetur, adjecta confutio vox בָּרֶל est. Quam, utut per definitum pondus שְׁנָאָה, שְׁנָאָה a verbis להבת חנית disjuncta sit, cum iisdem tamen, non cum שְׁלֵמָה, sensu cohaerere, oportet, sentiamus, nisi sexcentos siclos ferreos, cu-sos videlicet, & utrinque signatos, in hastilis cuspi-dem nova arte compactos fuisse, fingere malimis.

F

At

At supra tamen §. VI. ostensum est, שָׁקֵל in tali verborum ordine non numi signati, sed ponderis certi definitique, habere rationem. Accedit, quod, ferreos scelos cudos esse, nusquam gentium invenimus. Recte igitur CHALDAEUS mucronem hastae ait, מתקל שית פְּנַחֲתִילְיָה פְּרַזְלָא pondus sexcentorum scelorum ferri, aequasse. Haud fecus ARABS, nisi quod vocem בְּרֹל prorsus omittit, in ejusque locum אֶבְשָׂר, pondus, surrogat, dum עַדְעָן מְסֻבָּה בְּשַׁתְּבָחָה סְמַךְ pon-  
dus mucronis lanceae ejus sexcentorum scelorum fuisse, adstruit. Quod pondus, si ad Romanas rationes cum CLERICO l.c. exigas, XXV. libris aequale dices. Tantum videlicet oportebat mucronem esse, ut hastilis moli responderet. Huic autem quibus ille commissuris adhaerent, CLERICUS definire satagit in *Comment. l.c.*, quando: Erant, inquit, sine dubio cum lamina juncta appendices quadam ferreae, quarum ope ligno adhaerebat cuspis. Qui, si per laminam ferrum hastae ab imo praecutum intelligit, habere videtur, quod contendat: fin diversum quid, aut forma, aut materia, historiae divinioris obstat auctoritas, quin assensum praebeamus. Ceterum, cum constet inter omnes, ברל ferrum significare, parum morabimur incertas illas conjecturas aliorum, a ברל purus fuit, & נְבָשׁ fluxit, eam derivari, quod ferrum metalli in unum confluentis puritas sit, an peregrinam exoticamque existimari oporteat? Nec tricabimur multum cum aliis, num ansata illa, amentataque, Golias thi hasta fuerit? quales olim usu venisse, patet ex illo ENNII:

- - - Ansatas mittunt e turribus hastas.

et

et iterum:

*Postquam defessi sunt, stant & spargere se se  
Hastis ansatis, concurrunt undique telis.*

## X.

Propius instituto nostro est, de clipeo, quem solum ex Goliathi armis superesse videamus, exponere. Hunc autem non ab ipso Goliatho, sed ab armigero ejus praeeunte, ad locum pugnae gestatum esse, supra §. VIII. contra CLERICUM & TOSTATUM asserimus. Nimurum recte NICOLAUS de LYRA tradit, pugiles olim, cum ad certamen procederent, prae-milie fibi armigeros cum scutis, quae ipsi, cum jam conferenda manus essent, tuendo corpori adhiberent. Tales fuere ὄπλοπαχός, ὄπλοθόροι, σκευοθόροι, Scutigeri, Armigeri, Insigniarii illi, GALLIS Escuriers, ANGLO-SAXONIBUS Schild-Knaven, vel Schild-Knichte, dicti, quibus HEROES, Principesque, in pugnam descensuri, usi jam antiquissimis temporibus perhibentur. Ita sane in sacris historiis de ABIMELECHI, Jud. IX, 54, SAULIS, I. Sam. XXXI, 4, 5, 6, JONATHANIS, I. Sam. XIV, 1, 6, 7, 13, 14. aliorum, in profanis, praeci-pue apud HOMERUM, de Hectoris, Achillis, Diomedis, ceterorum, armigeris diserte traditum invenimus. Quorum quidem fortem, saltem propiori aevo, non ignobilem fuisse, aut abjectam nimis, ex eo liquet, quod nobili quoque loco nati graviora militum arma, hastas puta, & clipeos, in bellis haud raro gessere, armigerorumque vices equitibus praefitare. No-ster Goliathi anteambulo, qualiscunque ille fuerit, tantum נֶצֶח נְשׂוֹן clipei, seu scuti, portator fuit. צַנָּה

enim scutum esse, vel clipeum, CHALDAEUS etiam, SY-  
RUS, & ARABS, agnoverunt, quippe qui ei vo-  
cabula Τροπα, ظف، قوس, scutum, clipeum, umbonem,  
significantia, sua quisque lingua, reddiderunt. GRAE-  
CI LXX. τάνα per τὰ ἔπλα exprimunt: id quod κατ'  
εξοχὴν de clipeo, Latinorum more, intelligendum vi-  
deri poterat, nisi jam Goliatho signillatim αἴσθιδα attri-  
buissent. Originem vocis τάνα Grammatici, a ΠΣ, frig-  
escere, unde τάνα Prov. XXV, 13, frigus est, fere de-  
ducunt. Quae notio cum in scutum, clipeumve, pa-  
rum conveniat, alii ei significationem verbi τάνα vel  
uti cognitam succenturiant, rentrurque, peltam, praec-  
cipue acuminatam, τάνα dici, quod perforet multum,  
ac penetraret, vel refrigeraret etiam, quemadmodum  
frigus multum pungit, & in abdita se insinuat. At  
apte illis MERCERI istud verbum in Lexico sub radi-  
ce τάνα occinimus: *Nos saepe nominum caussas ignoramus*,  
ubi scitum esse putem, nostram inscitiam profiteri,  
quam temere divinare. φυλακτιὸν tamen armorum  
genus, quo milites corpora adversus hostilia tegunt  
tela, non δωντῆσον, quo vim inferunt, τάνα esse, ex  
i. Reg. X, 16, ubi cum τάνα, tanquam re simili, compo-  
nitur, & ex ii. Chron. IX, 15, ubi in recensione πανο-  
πλιας praeter τάνα, sive hastam, etiam τάνα, illa qui-  
dem ad nocendum, haec ad protegendum, ex usu  
istorum temporum, & antiquissimae militiae more,  
praesertim cum turma insequens v. 3. omni armo-  
rum genere instructa esset, necessaria, commemo-  
ratur, GUSSETIUS in *Comment. Ling. Ebr.* p. 718. difser-  
te adstruit. Nihilo tamen minus LXX Graeci in ex-  
positione eius titubant, dum modo θυγέτων, modo θρεψην,  
trans-

transferunt. Id quidem e DIONYSIO, POLYBIO,  
PLUTARCHO, aliis, recte constat, θυγέτων inter, & δομή-  
δα, tale a Graecis discrimen constitui, quale a Latinis  
inter scutum, & clipeum, ut illud sit, januae in foro, qua-  
dratum & oblongum, hoc rotundum. Quod si VATA-  
BLI, AMAMAEque conjecturis, quas ad I. Reg. X, 16,  
17, faciunt, standum sit, נְשָׁמָה, praecipue ubi cum נְשָׁמָה  
proxime conjungitur, scutum est, quod totum hominem  
operit, נְשָׁמָה contra clipeus, seu scutum minus. Accedit  
his haud obscure CLERICUS in Comment. ad Reg. l.c.,  
dum, et si, quale olim inter נְשָׁמָה & נְשָׁמָה discrimen fu-  
erit, definire omnino non ausit, majus tamen instru-  
mentum militare נְשָׁמָה, quam נְשָׁמָה fuisse, ex eo eluce-  
scere existimat, quod majus argenti pondus in illud  
insumtum perhibetur. Clarius eam in rem COG-  
CEJUS in Lex. p.m. 357, ex I. Reg. X, 16, 17, & II. Chron.  
IX, 15, 16, docet, נְשָׁמָה sexcentis auri pondo, נְשָׁמָה vero tri-  
bus tantum minis, hoc est, trecentis auri pondo, expen-  
sum esse, adeoque dimidiaе aequarem נְשָׁמָה integrum extitisse. Quae si ita sunt, נְשָׁמָה Goliathi θυγέτων,  
seu scutum, fuisse, facile sibi persuaderi quispiam pa-  
tiatur, maxime cum CALDAEUS נְשָׁמָה, תְּרוֹסָא, quae  
vox Graeco θυγέτων affinis est, interpretetur. At tan-  
tum abest, ut illa supra indicata vocabulorum נְשָׁמָה &  
נְשָׁמָה differentia ab omnibus observetur, ut plerique  
Interpretes nunc scutum, nunc clipeum, utrumque in-  
discriminatim appellant. GERMANI certe tam נְשָׁמָה,  
quam נְשָׁמָה, Schilde vocant, cuius vocis origo ab Ebraeo  
verbo נְשָׁמָה, dominari, propterea aliquibus videtur  
derivanda, quod principes populorum ejusmodi  
— נְשָׁמָה, hoc est, scutis & umbonibus, securitatis cau-  
sa, primum usi sint, deinde vero quilibet bellatores.

LUTHERUS autem, sicubi conjunctas voces נָשָׁה וְנָשָׁה per Schild und Waffen exprimit, hoc minus est reprehendendus, quod non aliud Germanis vocabulum suppetit, quo distingui apte alterum ab altero certa notione possit. Nec alienum sane a persona, habituque, Goliathi fuerit, נָשָׁה ejus clipeum potius, quam scutum, interpretari, quod vix videtur, grande scutum comode ab eo, jam satis armis operato, tractari posuisse, nec opus fuisse bene loricato, sive cataphracto, militi novo hoc corporis totius munimento. In Romana certe acie secundi tantum ordinis milites, qui lorica armati non erant, scuta gerebant, post quae perinde tuti, ac sub loricis & clipeis, laterent. Erant enim scuta ex arbore, praesertim aquatica, fice, salice, tilia, betula, sambuco, populo utraque, quae pertinacissime resistunt spiculis, gladiisque, confecta. Primi contra ordinis milites, praeter galeas, loricas, oreas, clipeos quoque, & eos quidem ex metallo, aere potissimum, affabre factos, quod e LIVIO, & aliis, passim discimus, tenebant. Quibuscum si Goliathi armaturam, haec tenus a nobis explicatam, componas, haud difficulter simillimam deprehendes. Illis enim, ut tradit LIPSIUS de Militia Romana L. III. Dialog. I. seqq: erat clipeus: huic נָשָׁה. Illis ensis a dextro femore pendens, HISPANIENSIS dictus, mucrone anceps eximio: sed & huic fuisse נָשָׁה, quamvis non ex hoc, quod exposuimus haec tenus, oraculo, ex ejusdem tamen capitris versu quinquagesimo primo, ubi expressa evaginati gladii mentio fit, liquet. Illis veruta duo: huic נָשָׁה, quamvis non geminum, quod praeter divini verba Codicis KIMCHIUS Comment. in h. l. fingit. Illis galeae aeneae, loricae, oreas, hastae:

bastae: sed & huic נחשת כובע קשキשים. שׁוֹרְן שֶׁל רַגְלֵי Omnia isthaec Goliathi arma a DAVIDE victore primum in tabernaculo suo, sive domo patris sui, deposita, post, cum rerum potitus esset, in regiam translata, solum autem gladium statim depugnata pugna, veluti tropaeum, DEO consecratum, & in tabernaculo NOBAEO, in perenne concessae a DEO victoriae monumentum, asservatum, atque inde sub initium exilii repetitum esse, ex I. Sam. XVII, 54 & XXI, 10 aperte constat. Quo gravior judicanda est DIONYSII CARTHUSANI in Comment. ad h. l. prolapsio, quando nunquam ait in divinis literis in tabernaculo suo, sed simpliciter in tabernaculo, legi opinatur, ex eoque audacter affirmat, detracta Goliatho spolia illico omnia tralata in tabernaculum divinum esse, aeternaeque tanti facinoris memoriae dedicata.



ERUDITISSIMO DOMINO  
MAGISTRO RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S .

**H**ERMANNORUM nomen, fastis gentium, & seculorum monumentis, si quod aliud, celebratum, virtutis, quae toga, sagaque, colitur, exercitatio ab ultima inde gentis nostrae aetate ad immortalis fastigium gloriae extulit. Originem ei summa in bello, & cum imperio conjuncta, dignitas, incrementa autem eorum, quibus delata illa est, praeter ceteros spectata fortitudo ac prudenter, dedisse perhibetur. Quibus rebus factum est, ut, quod fortuna prius singulis per exiguum forte curriculum vitae commoda verat, mox proprium fieret multorum, perpetuumque, ac haereditarium, decus. Neque enim tam sterilis virtus est, quin, cuius ipsa commoditatis usum peperit, ejus sensum, voluptatemque, seris etiam posteris percipendam transcribat. Quorum ego omnium cum in memoriam redeo, & in TE, Eruditissi-

ditissime HERMANNE, intueror pro-  
pius, et si, illis, an aliis, originibus gentili-  
tum, quo uteris, nomen acceptum referri o-  
porteat, definire nequeam, videor tamen  
michi videre stirpem aevi nostri, prisco illo  
HERMANNORUM nomine non indi-  
gnam. Animadverto enim in TE indolem  
ad consecranda sola, quae ardua, quae subli-  
mia, quae supra vulgi fortunam, velut in  
illustri, posita sunt, studia fictam, exemplis-  
que virtutum, & clarorum fama nominum,  
tanquam Miltiadis in Marathonio campo  
tropaieis, excitatam, ut cursum gloriae ju-  
venis in eas, annosque ingenio antevertas.  
Emicuit illa inter Commilitones jam tum iis  
temporibus, cum Afranae alumnus disciplinae,  
Doctorum de TE opinionem solertia, ingenii-  
que felicitate, vinceret: eluxit, cum ex illis vel-  
uti carceribus dimissus, in his Musarum ad  
Albim stadiis, ad calcem nostris, aliorumque,  
auspiciis, mira celeritate contenderes: effulget  
nunc, dum, quod alii nunquam, serius alii, nec  
sine trepidatione, suscipiunt publicae discepta-  
tionis certamen, TU, parum annis, longius do-

Etrina,

Etrina, apud nos provectus, erecto, obfirma-  
toque, animo ingrederis. Quo minus dubiam ego  
spem concipio, fore, ut aetati succrescat laudum  
TUARUM cumulus, PATRISQUE TUI, viri  
honestissimi, ac integerrimi, nostrisque rebus a-  
amicissimi, cui semper & cupimus bene, & pre-  
camur, vota ac desideria non expleantur  
abs TE, sed superentur. Tanta autem  
virtutis TUAE expectatio cum nobis sit,  
age, Humanissime HERMANNE, vi-  
rum TE semper, assertoremque nominis  
TUI, praesta, nec in ea tantum, quam pro-  
pediem adversus commentationum nostrarum  
oppugnatores in campo Musarum instruemus,  
acie bene sta, sed deinceps etiam, quae impedire  
inoffensum ad metam iter videantur, impelle,  
disjice, profliga, initaque laudis spatia pie-  
tate, industria, probique, ac temperati, mo-  
ris imitatione, emetire. Vale. Perscripsi

Vitembergae in Saxonibus, IV.

Idus Martias, A. R. G.

cōlōcc XI.

os ) o ( sō






01 A 6633



5b.

DA





56.  
Q. D. B. V.  
DE

**כָּלִי גָּלִיאָתִי**  
SIVE  
**ARMATURA  
GOLIATHI,**  
*Ad illustrandum I. Sam. XVII, 4. seqq.*  
**SVB AVSPICIO**  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
**DN. FRIDERICI AVGVSTI,**  
PRINC. REGII ET ELECTOR. SAXON. HEREDIS,  
&c. &c. &c.  
**IN AUDITORIO MAJORI**  
Ad diem XIV. Mart. A. O. R. MDCCXI.  
*HORIS CONVENTIS*  
PVBLICE DISPVTABVNT  
PRAESES  
**IO. CHRISTOPHORUS VVICH-**  
**MANNSHAUSEN,**  
LL.OO. Prof. Publ.  
ET  
RESPONDENS  
**M. CHRIST. EHRENFRIED HERMANNUS,**  
NOSENNA-MISN.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYPOGR.